



Boehmer Tzg. 1798 nr. 1<sup>d</sup> ist hinter } eingeklammert.  
1798 nr. 4<sup>b</sup> Stark " "  
" nr. 1<sup>c</sup>

1996 3  
M

ORDINIS IVRIDICI

IN

ACADEMIA VITEMBERGENSI

H. T.

DECANVS

D. GEORGIVS STEPHANVS  
WIESANDIVS

SERENISSIMO PRINCIPI ELECTORI SAXONIAE A CONSILII  
SVMMI PROVOCATIONVM SENATVS DECRETALIVM PRO-  
FESSOR PUBLICVS FACULTATIS IVRIDICAE ORDINAR. CONSI-  
STORII ECCLESIASTICI DIRECTOR CURIAE PROVINCIALIS  
ET SCABINATVS ASSESSOR

LECTORI BENEVOLO

SALVTEM.





**L**egibus recte interpretandis haud parum inservit iusta diuersi temporis computatio. Etenim certa iuribus cum adquirendis, tum amittendis praefiniuntur spatia, a quibus tamquam a fontibus vel noua commoda repetenda, vel, quibus praeterlapsis, iura et obligationes tolluntur. Praesertim iis, qui lites forenses exercent, tempora praescribuntur ad actus expediendos legitima, quibus negligitis, saepenumero grauia experiuntur incommoda. Diuersa vero tempora, sive ab ipsis legibus, sive a iudicibus constituantur, interdum quaestiones gignere solent satis impeditas. Plerumque enim quaeritur, a quo tempore eiusmodi spatia sint inchoanda et quando eadem sint finienda? In nostris quidem terris adhuc passim sequimur mores priscos Saxonicos, quos recepta iura peregrina non prorsus in exilium egerunt. Quod vti multis facile comprobari potest exemplis, ita in praesenti adduxisse sufficit annum Saxonicum, qui ab anno ciuili in eo differt, quod spatium latius comprehendat, atque sex hebdomades et tres dies adiiciat anno ciuili. Cum vero iam mihi detur opportuna scribendi occasio, de origine anni

a 2

Saxo-



*Saxonici eiusque usu hodierno, pauca, quantum sinit instituti breuitas, expositurus sum.*

Antiquis temporibus in Germania anni exordium a solstitio hiberno, vel a die, quo recolitur Christi nati memoria, fuisse ductum, ostendit Tresenreuter. *Antiquit. German. Libr. 4. cap. 3. §. 2.* Eum vero XII. mensibus fuisse absolutum, ex leg. Salic. Tit. 48. §. 2. vbi antiquissimum praeescriptionis annalis occurrit exemplum, luculenter intelligitur. Longobardis videbatur annus et dies esse spatium legitimum, intra quod delictorum rei iura resque suas persequi debuerunt. Ita enim lex Longobard. *Libr. 2. Tit. 43. 3.* fancit: *si cuiuscunq; hominis proprietas ob crimen aliquod ab eo commissum in bannum fuerit missa, et ille re cognita venire et institiam facere distulerit, annoque ac die in eo banno illam esse permiserit, ulterius eam non attingat, sed ipsa fisco nostro societur.* Dies hic in sensu vulgari pro spatio XXIV. horarum accipitur. Sed non temere quaeritur, cur Longobardi anno unum diem adiiciendum esse existimauerint? Cuius quidem rei ratio ab aequitate naturali, ne quis statim, elapso tempore legitimo, in poenam contumaciae incidat, repetenda est. Scilicet saepius oritur dubitatio de ratione spatii legitimi accurate computandi ita, ut non satis constet, a quo temporis articulo eius initium capiendum, vel quonam idem sit finiendum. Sed eiusmodi difficultas per laxamentum concessum commode tollitur. Hanc quidem humanitatis regulam iam veteres Romani erant obseruare soliti. Ita enim Paulus in *I. 6. D. de obligat. et aet. tradit: in omnibus temporalibus actionibus, nisi nouissimus totus dies compleatetur, non finit obligationem.* Eandem regulam repetit in *I. 101. de R. I. his verbis: ubi lex duorum mensium*

sium fecit mentionem, et qui sexagesimo et primo die venerit, audiendus est: ita enim, et imperator Antoninus cum Diuo patre suo rescripsit. Confer ea, quae Gothofredus in *Commentar. ad h. l.* monuit. Ius quidem pontificium pariter anno et die praescriptionem iuris retractus in c. 8. X. de *in integr. restitut.* conclusit. Gonzalez Tellez ad hunc locum obseruat, annum et diem ideo dici, quia, si in lege aut statuto annus praescribitur, non exprimitur, num ipse dies, quo contractus celebratur, aut actus peragitur, anno sit imputandus ideoque diem adiici, ut dubitandi ratio cesset. Annum et diem esse speciem praescriptionis, dudum animaduertit du Fresne in *Glossar.* sub verb. *annus et dies.* Hunc quidem terminum hodie iure Anglicano quibusdam praescriptionibus esse constitutum, testantur auctores satis locupletes, Cowellus *Institut. iur. Anglican.* p. 88. seq. et Cragius in *iur. feudal.* p. 218. Licet vero moribus antiquis annus et dies spatium amplius quam trecentos, sexaginta et sex dies non expresserit, successu tamen temporis hoc spatum fuit amplificatum, vt quidem ex iure feudali Longobardico est perspicuum. Etenim II. F. *Tit. 24.* constitutum, vt is vasalus, qui mortuo domino, ab herede domini intra annum et diem, inuestituram non petierit, feudum amittat. Sed in hoc loco annum et diem continere spatium vnius anni et mensis, luculenter ex I. F. *Tit. 22.* perspicitur. Bitschius in *Commentar.* p. 169. refert, quibusdam videri locum adductum esse corruptum, et diem pro mense esse reponendum. Cum vero lectio vulgaris nitatur auctoritate antiquissimorum codicium, ab ea temere recedendum haud est. Hinc Iureconsulti Vitembergenses, teste Wernhero *Part. 8. Observat.* 393. anno 1721. responderunt, iure feudali Longobardico, inuestituram feudi intra annum et mensem esse petendam.



Vt vero ad institutum proprius accedam, nunc exquirere iuuat, vnde origo anni Saxonici sit repetenda. Ea vero a priscis moribus est arcessenda. In *iur. prov. Saxon. Libr. 1.* art. 28. seq. agitur de praescriptione rerum mobilium atque immobilium. Vterque dignus est, qui expendatur diligenterius. Art. 28. ita se habet: *was solches Dinges erblos stirbt, als hergewet, Erb oder gerad, das soll man antworten dem Richter oder Fronboten, ob er es heischet nach dem dreyßigsten. Das soll dann der Richter behalten iar und tag unverthan, und warten, ob sich iemands darzu ziehen wollt mit recht, kümpft da niemands, so kere es der Richter darnach zu seinem nutz: es wäre denn, daß der Erb gefangen wär, oder in des Reichs dienst gezogen, oder in Gottesdienst außer des Landes, so muß er sein warten mit dem Erb, bis daß er wieder komme. Dann er kann sich an seinem Erbe dieweil nicht verschweigen. Dies ist aber geredt von fahrender hab. Articulus vero 29. ita est conceptus: an Eigen und Erb mag sich der Sachs verschweigen bey dreißig iahren; und iar und tag und eher nicht. Ex his locis apparet, moribus Saxoniciis in rebus mobilibus obtinuisse praescriptionem annalem, in immobilibus vero tricennalem, annalem tamen non nocuisse ei, qui iusta causa fuit impeditus, quo minus res suas intra spatium legitimum repeteret. Heineccius quidem in *Element. iur. German. Libr. 2. Tit. 4. §. 108.* statuit, art. 28. vnicce esse accipendum de praescriptione hereditatis vacantis, quae in rebus mobilibus consistit. Sed verba in fine adiecta perspicue docent, eum spectare in vniuersum ad praescriptionem rerum mobilium, quam quidem sententiam quoque amplectitur Schilterus *Exercitat. 45. §. 49. Jahr und Tag secundum interpretationem, quam glossa Germanica ad Libr. 1.**

art.

art. 38. suppeditat, complectitur spatium vnius anni et sex  
 hebdomadum. Hanc vero interpretationem alia iura aetatis  
 mediae confirmant. Sic *ius feudal. Saxon. cap. 25. p. 81.*  
 in edit. *Ludovic. renouandae inuestitutae eundem terminum*  
*praescribit. Ius feudale Alamann. c. 50.* diserte tradit: *ieg-*  
*liches Mans yore gezalle gegen sinen Herrn ist ein yore*  
*und sechs weuchen.* Ex eo loco simul apparet, tempus pu-  
 bertatis feudal olim tredecim annos et sex hebdomades de-  
 siderasse. In charta Alberti Ducis Brunsuicensis ciuitati Ha-  
 meleni anno 1277 data, quam Pufendorfius *Obseruat. iur.*  
*vniuers. Tom. II. in append. p. 268.* subiecit, haec occurunt:  
*quicunque intrat, vel intrabit ciuitatem, et mansit vel ma-*  
*nabit in ea anno et sex septimanis absque querimoniis, ul-*  
*terius a nullo potest impeti de aliquo iure vel servitio, sed*  
*pro libero habebitur.* Spatium vero hoc, quod sex hebdo-  
 madibus-absolutur, originem duxit ex trinis citationibus, qui-  
 bus olim rei in ius fuerunt vocati, quarum quaevis XIV. dies  
 continebat, quibus aequitatis caussa tres dies, quibus reus ad-  
 esse debuit, adiecti sunt. Adeas Schilter. in *Commentar. ad*  
*ius feudal. Alamann. c. 50.* et Wilduogel. *dissert. de term.*  
*Saxon. cap. 2. §. 2.* Inde igitur intelligitur, quomodo ver-  
 ba *Jahr und Tag*, quibus vulgo annus Saxonius exprimitur,  
 in iuribus antiquis Germanicis sint interpretanda. Sed silen-  
 tio hic omittere nolo, olim expeditionem, quam Reges Ger-  
 manorum Roman coronae Imperialis accipiendae caussa, in-  
 stituere erant soliti, anno, sex hebdomadibus et tribus diebus  
 antea fuisse indicendam *Vetus auditor de benefic. cap. 1.*  
*§. 14.* in *Corpor. iur. feudal. p. 160.* Non erit incommo-  
 dum ad indolem anni Saxonici melius percipiendam, hic alia  
 in subsidium vocare iura Germanica, quae quidem vsum at-  
 que auctoritatem prisci iuris Saxonici haud parum confirmant.

Princi-



Principem inter ea locum tribuo Statutis Susatenibus, quae latino sermone edidit Haeberlinius, vbi No. 32. p. 27. haec leguntur: *quicunque de manu schultheti vel ab eo, qui auctoratem habet domum vel aream, vel agros, vel mansum, vel manfi partem reperit, et per annum et diem legitimam quiete possederit, si quis in eum agere voluerit, taatis reliquis, sola manu obtinebit et sic de cetero sui warandus erit.* Nihil scilicet fuit istis temporibus praescriptione annali frequentius, quae in Saxonia superiore et inferiore viguit. Confer. Pufendorf. Tom. I. *Obseruat.* 95. §. 4. seq. Vulgo ea significatur verbis antiquitus receptis, *Iahr und Tag*, vti intelligitur ex *Statut. Verdens. et Vlzens.* quae laudatus Pufendorfius Tom. I. adiunxit in *appendic. p. 109, 120 et p. 242.* Assentior igitur lubenter illustr. Walchii, qui in *libell. exquisitiae doctrinae pleno, vom Näherrecht Libr. 1. cap. 5. §. 11.* statuit, antiquissimam praescriptionem eamque vere Germanicam esse annalem, qua olim multa iura et adquirebantur, et amittebantur. In primis vero ea maximopere se commendauit emporiis florentioribus, quae mercatura amplificanda studio tenentur. Hinc eiusdem in iure Lubecensi crebra fit mentio. Confer *Libr. 1. Tit. 3. art. 3.* et *Tit. 8. art. 1.* Licet vero ibidem adstricta sit ad annum Saxonum, id quod verba *Iahr und Tag* perspicue innuere videntur; Meius tamen in *Commentar. ad ius Lubec. p. 245.* monet, *vnu fori haec verba usurpari de anno et die ciuili.* Cum iure Lubecensi amice conspirant *Statuta Hamburgenia*, quae pariter iuuandis commerciis sunt maxime accommodata. Ex his adducere iuuat ea, quae *Part. 2. Tit. 19. §. 3.* de praescriptione annali ita sunt constituta: *alles Guth, welches über See und Sand anhero gekommen und allhier Iahr und Tag ohne Anspruch gewesen und solches mit zween*

¶ + ¶

zween glaubwürdigen Zeugen bewiesen werden kann, ist ein ieder, ungeachtet ob es vor gestohlen oder geraubt angesprochen wird, näher zu behalten, als ihm das iemand abzugeinnen, iedoch so fern derienige binnen Landes gewesen, welcher den Anspruch thut. Sensum huius sanctioris laudabili studio exposuit Stryckius in *dissert. de praescript. rer. per mare allatar.* qui §. 23. contendit, annum ciuilem, non Saxonicum, ibi esse intelligendum. Lubecenses vero et Hamburgenses id egisse maxime, ut commerciorum securitati prospicerent, vel ex eo intelligitur, quod praescriptione annali et rerum immobilium vindicationem excludendam esse statuerint, qua quidem in re ab institutis aliarum gentium Germanicarum multum discrepant. Consulenda hic in primis Heineccii *dissert. de praescript. annal. iur. Lubec.* §. 19. segg. Ne quis vero putet, annum Saxonicum dunatax obseruatum fuisse in locis, in quibus olim viguit speculi Saxonici auctoritas, adiungo locum ex *iure prov. Bauar. antiquo*, qui in *Heumannii opusc. p. 101.* sic exprimitur: *wir wollen auch und bestätigen es, welches Closter oder Gotzhans seines Seelgerätz in Nutz und in Gewer sitzt Jahr und Tag und sechs Wochen ohne alle rechte Ansprüche, daz soll für das desselben Seelgerätz mit Ruhe sitzen freylich von aller Ansprach.* Sed haec de origine anni Saxonici sufficiant. Nunc, quem is hodie in foris nostris usum praestet, paucis ostendam.

*non . . .* Praecipuus usus anni Saxonici hodie cernitur in materia praescriptionis, cum adquisitiuae, tum extinciuae. In nostris quidem terris duplex genus praescriptionis obtinet, quorum unum est ordinarium, alterum vero extraordinarium. Prius ex iure Saxonico antiquo originem dicit atque Romanis fuit incognitum, quo pertinet praescriptio rerum mobi-

lum annalis, rerum vero immobilium, etiam incorporalium tricennalis. Posterius ad eas praescriptiones spectat, quae ex iure Romano et canonico ortae, apud nos vsu receptae sunt. In praescriptionibus ordinariis mere Saxoniciis et hodie obseruari solet annus Saxonicus, qui annum, sex hebdomades et tres dies complectitur. Philippi de *subhastat. cap. 4, 12, 55. seqq.* Wildvogel in *dissert. excitat. cap. 8. §. 2.* Schott. *Institut. iur. Saxon. p. 210. seq.* Haec quidem regula mihi quoque videtur esse sequenda in explicandis aliis iuribus prouincialibus et statutariis Germanicis, quae antiquam praescriptionem Saxoniam, iure quoque hospitii, liberaliter receperunt. Hinc Io. Frideric. Krugerus in *different. iur. civil. et statutar. Lüneburg. cap. I. §. 4.* recte statuit, annum et diem, quem ius Luneburgicum in praescriptione desiderat, pro anno Saxonico esse accipiendum. Ex iis tamen, quae supra attuli, satis perspicuum est, consuetudine aliud siuisse saepenumero introductum, id quod exemplo iuris Lubencensis et Hamburgensis fuit comprobatum. Neque negandum, interdum iure statutario spatium anni Saxonici siuisse coactatum. Sic *Statuta Osterendorfensia* praescriptionem annalem anno, vno mense et tribus diebus definitum. Pusendorf. *Obseruat. iur. univ. Tom. II. in append. p. 171.* Deinde annus Saxonicus quoque in quibusdam retractus speciebus est attendendus. Est quidem *Part. 2. Confl. 32.* sanctum, ut retractus, qui ex consuetudine, vel ex statuto venit, intra annum sit exercendus. Hunc annum esse ciuilem, non Saxonicum, obseruat Hommelius *Rhapsod. Obseruat. 206.* Sed laudata *Conflit.* praescriptionem tricennalem tunc sequendam esse censet, si retractus ex conuentione descendat atque bona retractui obnoxia retrahenti, ut pactum ideo iniungi magis corroboretur, hypothecae nexus fuerint obstricta.

Ean-

Eandem quoque praescriptionem obstat iuri redimendi feudum extraneo venditum, quod quidem *Part. 2. Const. 50.* concedit, docet Wernherus *Part. 7. Observat. 12.* In Lusatia superiori retractus ex simultanea inuestitura intra annum et diem, a die adjudicationis, exerceri potest. *Oberlausitz. Amts- und Gerichts-Ordnung Part. 2. §. 4.* Cum vero olim in Lusatia superiori ius commune Saxonicum obtinuerit, euidem facile in Bergeri sententiam abeo, qui annum et diem pro anno Saxonico accipit in *Deconom. iur. Libr. 3. Tit. 5. §. 10, 6.* Quod si in legibus Saxonici fit mentio anni simplicis, die non adiecto, annus civilis intelligendus est. Olim de quaestione, quando debitori fundum oppignoratum sollenani subhastatione creditorri addicatum reluere licet, gravis dubitatio fuerat oborta. Hanc sustulit *Decis. XI.* quam, quia regulam propositam valde illustrat, hic inserere non erit incommodum. Ita vero se habet: *es ist in Sächsischen Rechten versehen, daß ein Schuldner sein verholffenes Guith binnen Jahresfrist, wieder an sich lösen möge. Was aber vor ein Jahr darunter verstanden werde, darüber haben sich die Rechts-Lehrer in diesen Landen allerdings bisher nicht vereinigen können.* Nun seynd zwar etliche der Meinung, daß die Erklärung dieser Zeit, nach Sachsen-Recht, welches in jährlicher praescription insgemein von keinem andern als Jahr und Tag zu reden pflegt, zu machen, und also die reuision auf ein Jahr, sechs Wochen und drey Tage zu erstrecken; dieweil aber dennoch die Worte im Torgauischen Aufschreiben und neuen Gerichts-Ordnung disfalls von einer bloßen Jahresfrist, ohne Anhang der Wochen und Tage, wie sonst, wenn es de anno Saxonico redet; gemeinlich in denen Constitutionen geschiehet, Meldung thun, und dahero von einem Jahre, so

52 Wochen in sich hält, zu verstehen, so setzen, ordnen, und wollen wir, daß hinführō dieser letztern Meynung nachgegangen und die relution binnen solcher Jahresfrist der 52 Wochen verstattet, nach Ablauf derselben aber nicht zugelassen werden solle. Adde Berger. *Elec̄. disceptat. forens. p. 1209.* E contrario in iis, quae non ex iure Saxonico, sed ex iure peregrino sunt repetenda, in nostris foris attendere solemus annum ciuilem, non Saxonum. Quae-dam negotia quidem Romanis non fuere incognita; ea tamen a iure communī Imperii certam formam accepere, veluti iudicium possessorum summarium, cuius indeles in *Ord. Cameral. Part. 2. Tit. 22.* describitur. Quodsi igitur in eo requiritur possessio vltimi anni, id non de anno Saxonico, sed de ciuili erit capiendum. Mecum hic faciunt Bergerus in *Supplement. ad Elec̄. disceptat. forens. Part. 2. p. 152.* et Hommelius *Observat. 178.* His quaestione subiungo, quale temporis spatium ad ius consuetudinarium introducendum in nostris terris sit necessarium. Ius Romanum exigit quidem diuturnitatem temporis, sed numerum annorum non definit. *L. vlt. C. quae sit long. consuetud.* Ius pontificium pariter diuturnos mores consensu vtentium approbatos requirit. *C. 6. D. 12.* Sed pariter de tempore nihil certi constituit. Hinc arbitrio prudentis iudicis nonnulli id relinquendū esse arbitrantur, in quorum partes etiam discedit Voëtius in *Commentar. ad Pandect. Libr. 1. Tit. 3. §. 29.* Sed eo iure vtimur in Saxonia, vt annis triginta, anno et die consuetudo inducatur. Carpzov. *Part. 2. Const. 3. def. 21.* Stryck in *Vſ. modern. Pandectar. Libr. 1. Tit. 3. §. 13.*

Quae hactenus de vſu anni Saxonici proposui, ea tantum spectant ad cauſas ciuiles. Nunc adhuc breuiter inqui-

quirendum, num anni Saxonici etiam in cauissis criminalibus sit habenda ratio? *Auctores Consultat. Constitut. Saxon. Tom. II. Part. 4. Quaest. 62.* statuere, in praescriptione iniuriarum verbalium annum Saxonicum esse obseruandum, quod etiam contendit Berlichius *Part. 1. decis. 115.* Haec quidem opinio videtur satis esse fundata in *iur. prov. Saxon. Libr. 3. art. 31.* Sed totus hic locus sumtus est ex iure Romano. Praescriptio iniuriarum annalis ex *l. 5. C. de iniur. apud nos est recepta.* Nec est dubitandum, quin in ea vnicie ius ciuile sit sequendum, cum ad istud *Constitut. 46. Part. 4.* diserte prouocet: *Dieweil die Rechte ordnen und setzen, daß die wörtlichen Iniurien, in Jahresfrist, praescribiret werden; so lassen wir es auch dabey bleiben.* Contrariam opinionem Carpzouius in *Praet. rer. criminal. Part. 2. Quaest. 97. n. 59.* ita consutauit, vt ei amplius inhaerere sit supervacuum. In eiusmodi praescriptione vero intelligendum esse annum vtilem, qui currere incipit ex eo die, ex quo quis iniuriam sibi factam esse resciuit, nemo facile negauerit. Sed adduxit *Constit.* iniuriis realibus grauioribus praescriptionem tricennalem Saxoniam praefinit, qua in re a iure ciuili recessit. Hodie in Saxonia in iniuriis praescriptio annalis est attenda. Confer *Rescript. d. 15. Aug. 1727.* editum in *Cod. Aug. continuat. Sezt. I. p. 278.* Licet vero, si tempora delictis praescribendis constituta respicis, inter ius nostrum et Romanum quaedam intercedant discrimina; haec tamen regula semper erit seruanda, vt annos praescriptos secundum ius ciuile computemus. Ceterum de hoc argomento consuendi sunt Boehmerus in *Observat. ad Carpzouium ad Qu. 141.* et Engavius von der Veriührung in peinlichen Fällen §. 66. seqq. Sed plura exponere vetat temporis breuitas. Accedo potius ad Candidatum prae nobilissimum atque doctissimum,



mum, CAROLVM GOTTLÖBVM BROTZIVM, Budissa-Lusatuum,  
qui ab ordine nostro summos in viroque iure honores huma-  
nissime sibi expetiit.

De vita sua haec ipse exponit.

*Natus sum Budissae anno 1766. Parentem GOTTLÖB BROZIVM,  
septuagenerium senem veneror, qui tam sagatus quam togatus cum  
matre mea CHRISTIANA ELEONORA de METZRADT, cuius cineres iam  
abhinc 14. annis lugeo, omnes labores eo intendit, ut pro tenuitate con-  
ditionis et rei domesticae me moribus honestis et artibus bonis fideliter  
imbuendum curaret. Hinc primo Lyceo, quod Laubani floret, me  
puerum tradidit; deinceps scholam, quae Neostadii prope Dresdam flo-  
ret, frequentauit, et a Restore SCHAEFFERO literis humanitatis infor-  
matus, anno 1784. Vitembergam me contulit, ibique b. ZEVNIO, tunc  
temporis Rectori Magnifico, fidem et obedientiam promisit, ac Viros  
Summe Venerabiles, Illustres et Amplissimos, in philosophia et theologia  
REINHARDVM b. HILLERVUM, in disciplinis, quae ad iurisprudentiam  
spectant, b. GEISLERVM, b. REINHARDVM, b. FISCHERVM, b. PAVLY,  
WIESANDVM, KLÜGELIVM, HOMMELIVM et SCHLOCKWERDERVM, in  
historicis autem SCHRÖCKHIVM praeceptratores habui, quorum institutione  
per tres annos usus, sub praefidio GEISLERI, qui singulari fauore me  
amplexus est, animaduerstiones quardam ex inter vniuerso depromitas  
publice defendi, atque examen, quod admissionem ad praxin iuridicam  
antecedit, subii. At mox flebilis casus mea fata accelerare videbatur,  
quo quidem mea studia per annum fuere retardata. Grata mente hic  
recolo eximia beneficia, quibus liberalitas procerum huius urbis me mi-*

serum

❧ + ❧

serum eo quidem tempore, mirifice recreauit. Restitutus pristae sanitati per quinquennium comes regundis studiis iuuenium tam genere, quam ingenio praestantissimorum et a parentibus fidei et institutioni meae commissorum, in hac Academia adiunctus fui, quo quidem spatio praeterlapso, in patriam redii, ibique potestatem, causas in foro orandi per speciale rescriptum natus, ad munus Actuarii in iudicio, quod iurisdictionem in Dynastiam Seidenbergensem exercet, a Comite Illusterrimo ab EINSIEDEL, S. Electori a Secretioris Conclavis consilio, sum admotus, qui paullo post ipsam directionem iudicii mihi benevolu mandauit. Ut autem anteceſſoribus in munere dignitate hand cedam, eo conflio ordinem Illustrem precibus modestis adii, et ab eo, ut me dignitate noua condecoraret, peti.

Noster vero Candidatus vtrumque examen cum laude subiit atque ad quaestiones propositas ita respondit, vt nobis prorsus satisfecerit. Vt igitur precibus, quibus summos in utroque iure honores sibi expetiit, lubenter gratificamur; ita iisdem rite consequendis, futuro die Lunae, Praeside Illustri HOMMELIO, Collega mihi longe amicissimo, dissertationem inauguralem de *poena eius*, qui ex mandato, aut iussu deliquit, publice defensurus est. Ut vero hunc actum sollempnem RECTOR ACADEMIAE MAGNIFICVS, ILLVSTRISSIMI COMITES, PATRES ACADEMIAE CONSCRIPTI, OMNES DIVINAE HVMANAEQ[UE] SAPIENTIAE DOCTORES, nec non GENEROSISSIMI atque NOBILISSIMI ACADEMIAE CIVES honorifica praefentia ornare velint, et meo et Ordinis mei nomine ea, qua decet, obseruantia rogo. P. P. Dom. XV. post Fest. Trinitat. A. R. S. clclcccxcvi.



Wittenberg, Diss., 1796-98

vd18

3

f

ULB Halle  
004 335 902



S6.

a



B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

Farbkarte #13

Centimetres

8  
7  
6  
5  
4  
3  
2  
1  
Inches  
1  
2  
3  
4  
5  
6  
7  
8  
9  
10  
11  
12  
13  
14  
15  
16  
17  
18  
19

1796 3

# ORDINIS IVRIDICI

IN

ACADEMIA VITEMBERGENSI

H. T.

DECANVS

D. GEORGIVS STEPHANVS  
WIESANDIVS

SERENISSIMO PRINCIPI ELECTORI SAXONIAE A CONSILIIS  
SVMMI PROVOCATIONVM SENATVS DECRETALIVM PRO-  
FESSOR PUBLICVS FACVLTATIS IVRIDICAE ORDINAR. CONSI-  
STORII ECCLESIASTICI DIRECTOR CVRIAEC PROVINCIALIS  
*et* SCABINATVS ASSESSOR

LECTORI BENEVOLO  
SALVTEM.

